

anno insequenti cum codice contuli. Aristophanem suum contulit Adolfus de Velsen amicus.

a = codex Parisinus 2713, in membranis eleganti manu saeculo XIII scriptus. continet Hecubam, Orestem, Phoenissas, Hippolytum, Medeam, Alcestin, Andromacham cum glossis scholiisque uberrimis maximam partem a manu prima scriptis. praeter hanc (*a*¹) correxerunt secunda (*a*²) et complures recentiores (*a*³). bis etiam hunc codicem ipse excussi.

S = codex archetypus nunc deperditus librorum:

L = codicis Florentini plut. 32 n. 2, chartacei, saeculo XIV compluribus manibus scripti. insunt praeter alia Euripidis fabulae duodeviginti, desunt Troades et Baccharum finis (v. 756—1392). textum correxit manus prima (*L*¹), deinde mutavit manus recentior (*l*) ita, ut liber praestantissimus, usque ad hoc tempus non satis cognitus, non recte aestimatus sit. quia multorum intererit originem multarum editionis Aldinae lectionum cognoscere, multas miseras mutationes a *l* factas commemoravi, quas silentio premere praestat. praeter *l* nonnullae aliae manus recentissimae pauca mutarunt. contulit librum Hugo Hinck, homo egregius, quem praematura morte literis ereptum esse valde lugeo.

P = codicis Palatini inter Vaticanos 287, in membranis saeculo XIV scripti. praeter nonnullas Sophoclis Aeschylisque fabulas continet Euripideas Andromacham, Medeam, Supplices, Rhesum, Ionem, Iphigeniam Tauricam, Iphigeniam Aulidensem, Danaes fragmentum spurium, Hippolytum, Alcestin, Troadas, Bacchas, Cyclopem, Heraclidas (usque ad v. 1002). correxerunt manus prima (*P*¹) et manus recentior (*p*). librum contulit olim Elmsleius, eis locis, quibus interesse videbatur, inspexerunt Hugo Hinck et Augustus Wilmanns. horum codicum¹⁾ duae classes sunt distinguendae. ab

1) accedit, quod ad argumenta et v. 1—42 Medae attinet,

F = codex Marcianus 468, bombycinus saec. XIV, in quo insunt praeter alia Euripidis Hecuba, Orestes, Phoenissae, Medae argumenta et v. 1—42. librum contulit Hugo Hinck.